



P E T R V S R A M V S

L E C T O R I S .



EX omnibus vigiliis (Lector) multos per annos in artium liberalium institutione elucubratis nihil elementis mathematicis nobis æquè vel exercitū laborib. vel anxium curis, vel periculosum tēporibus accidit. Nam cū à primis annis mathematū amore captus, Orótio Fineo (qui primus regia professione in Galliam mathematicas artes retulit) operam dedissem, protinus abductum rhetoricæ & philosophicæ exercitationes occuparunt: Interea tamen Ioannem Penam nostræ disciplinæ alumnum nactus mathematici oneris fasce me subleuatum & exoneratum putavi. Adolescens enim fuit ingenio quidem ad omnes artes percipiendum mirabili, studio autem in literis latinis & græcis, in philosophia præcipuè & mathematica tanto, ut ardentius aut flagrantius nihil unquam viderim. Quare cū mathematica professio vacaret, & à nobis in examen productus, æmulatione cōpetitorum severius examinatus esset, ita mentes omnium cepit, ut etiam adversarii eo loco dignissimum iudicarent. Ergo commendatione tam raræ eruditionis professor factus, cū nostris consiliis excitatus spem mathematicæ illustrationis incredibilem cōcitasset, anno ætatis sexto & vicesimo in ipso professiōis penè vestibulo extinctus est, magno mœrore nostro,

b 2